Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 145

Quelle:
Copyright:

leliſmo inter *Johannem* et ceteros Evangeliſtas, qui incipit: *Euangelium emphatice dicitur bona annunciacio* &c.

II. *fol.* 75. ſequuntur Collectanea e PP. *de extremo Judicio, Beatis et Reprobis* in Articulos redacta, ſed ἀκεφαλα; incipiunt enim nunc a CCXLI. *De Reſurrectione.* Ita: *Omnibus queſtionibus que de reſurrectione moueri aſſolent* &c. et ultra CCC. excurrunt. Poſtremus hac rubrica eſt: *Quid acturi ſint ſancti et que eorum felicitas.* Loquuntur *Auguſtinus, Ambroſius, Haimo, Julianus Toletanus* alii.

III. *fol.* 81. Tractatus logico-theologicus ἀδεσποτος, cujus Praefatio incipit: *Omnis ſcientia ſuis nititur regulis uelud propriis fundamentis* &c. Poſtquam Autor id exemplo Grammaticae, Dialecticae, Rhetoricae, Ethicae, Phyſicae, Arithmeticae, Muſicae, Geometriae et Aſtronomiae oſtendiſſet, ſequitur: *Superceleſtis etiam ſcientia, id eſt, theologia ſuis non fraudatur maximis* (les Maximes *gall.* Regulae, Principia &c.) *habet enim regulas digniores ſui obſcuritate et ſubtilitate ceteris preeminentes* &c. et poſtquam has Regulas ſeu *Maximas* dixiſſet adpellari poſſe Paradoxa, Aenigmata, Emblemata, Enthymemata et Hebdomades, ita concludit: *Unde boecius librum inſcripſit de hebdomadibus quaſi de ſubtiliſſimis theologorum propoſitionibus. Iſte propoſitiones quanto intelligenciam habent altiorem, tanto magis peritum exigunt auditorem. Vnde non ſunt proponende rudibus introducendis, qui ſolis dediti ſunt ſenſuum ſpectaculis, ſed illis, qui ductu purioris mentis ad ineffabilia conſcendunt, et puriori oculo philoſophie ſecreta conſpiciunt. Hęc enim propoſitiones in penitiori ſinu theologie abſconduntur, et ſolis ſapientibus colloquuntur. Tractaturi igitur de theologicis maximis a fonte atque omnium maximarum maxima id eſt generaliſſima noſtri tractatus ſumamus inicium.* En hanc Maximam Maximarum. *Communis animi conceptio eſt enuntiatio quam quisque intelligens probat auditam.* En et quasdam ſubſequas: *Monas eſt, qua quelibet res eſt una. In ſupercelesti unitas, in celeſti alteritas, in ſubceleſti pluralitas. Monas gignit monadem et in ſe ſuum reflectit ardorem. In patre unitas, in filio equalitas, in ſpiritu ſancto unitatis equalitatisque connexio. Sola monas eſt alpha et ω. ſine alpha et ω.* Singulis *Maximis* ſuum ſubjicitur ratiocinium. Numero ſunt CXXXIII. Pervadunt omnia Dogmata, et poſtrema eſt: *Omnis ſubſiſtens diſſimilitudine nature eſt aliud, eciam diſſimilitudine proprietatis eſt aliud.* Habes acutum Dialecticum *Ariſtotelis* doctrinam plenis rivulis in Theologiam invehentem. Itaque haec Seculum XII. et *Roſcelini Compendienſ. Petri Abailardi, Gilberti Porretani* tempora reſpiciunt. Foetum *Gallicum* eſſe ſuadet etiam Vocabulum *Maxima*, quod tardius ad *Anglos, Italos*que perveniſſe putem. Meminerat Au-